

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1502

Autre(s) référence(s) : Fauroux 56 / Tabuteau 146 / ARTEM 1971

Auteur(s) : Guillaume Ier, Bellême (seigneur)

Bénéficiaire(s) : Bellême, Saint-Léonard, dépendance Saint-Martin de Marmoutier (collégiale)

Genre d'acte : charte

Authenticité : faux

Datation : [1089-1092]

Action juridique : fondation

Langue du texte : latin

Analyse

La souscription de Richard II figure dans la charte apocryphe par laquelle Guillaume de Bellême déclare avoir édifié l'église Saint-Léonard à Bellême et l'avoir affranchie de toute coutume épiscopale et laïque.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Barret Philibert (Abbé), *Cartulaire de Marmoutier pour le Perche*, Mortagne-au-Perche, Meaux (Documents sur la province du Perche ; 3e série, 2), 1894, p. 5, n° 2.
- b. Prou Maurice, *Recueil des actes de Philippe Ier, roi de France (1059-1108)*, Paris, Imprimerie Nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France), 1908, p. 429, n° 176.
- c. Fauroux Marie, *Recueil des actes des ducs de Normandie de 911 à 1066*, Caen, Caron (MSAN ; 36), 1961, n° 56, p. 176-179.

Dissertation critique

Datation proposée par M. Fauroux.

Pseudo-original d'écriture de la fin du XIe siècle ; selon J.-F. Lemarignier, cet acte est un faux de franchises épiscopales fabriqué par les moines de Marmoutier avant 1092. Voir FAUROUX, p. 176-177.

Texte établi d'après c

Si, scriptura testante, fides sine operibus mortua est, summa ope niti decet omnes christianos quatinus cum fide quam habent bonis operibus non careant ; hoc est enim quod scriptum est : « quiescite agere perverse, discite bene facere », sed quia raro invenitur ut, qui sæcularibus divitiis occupati sunt, salvari possint, debent ex eorum opulentia sustentari qui nocte et die Deo in æcclesiis serviunt. Quod ego, Guillelmus de Belismo, verum esse considerans reminiscensque meorum iniquitatum fluctus et scelera, cogitare cæpi quomodo pænas evaderem, et peccatorum meorum remissionem promereri possem. Placuitque michi Romam ire beatum Petrum suppliciter deprecari quatinus, quod ego non poteram, ipse erga Deum mihi veniam impetraret. Quo deveniens, confessus sum peccata mea beatæ memoriæ Leoni papæ qui tunc temporis romanam æcclesiam sancte et religiose regebat, ille vero mihi compatiens intuitus est corporis mei delicationem et generositatem meam et cognovit quia magnam abstinentiam facere nequirem, et ne tristis sine pænitentia ab eo discederem injunxit mihi ut, in pænitentiam, æcclesiam quandam construerem, jurisque mei rebus opulentissime ditarem ; quod ego gratanter accepi. Rediens autem Roma, tempus oportunitum quo id peragere possem expectabam. Tandem, misericordia Dei inspirante,

contigit ut corpus Sancti Leonardi cum plurimis aliorum sanctorum reliquiis, de alio loco in castellum meum asportarem. Quo ex facto, valde gavisus æcclesiam ædificare cæpi, in honorem beatæ MARIE semper virginis et sanctorum apostolorum Petri et Pauli, proprie autem in onore beatissimi Leonardi, cujus corpus in eandem æcclesiam honorificentissime collocavimus. Qua constructa, volui eam ab omni consuetudine episcopali et laicali esse liberam et solutam, quatinus nullius potestati subjaceret. Quapropter tempore quo supra dictam æcclesiam dedicari de more volui, dominum meum Franciæ regem Robertum adii eumque, ut ad eandem dedicationem veniret, suppliciter exoravi. Qui, petitioni meæ libenter annuens, devotus advenit, adduxitque secum comitem Odonem et Senonensem archiepiscopum necnon Charnotanium pontificem sanctæ memoriæ domnum Fulbertum, cum multis aliis episcopis et comitibus quorum nomina propter prolixitatem tacuimus.

Addidi etiam ad eandem dedicationem invitare gloriosum Normannorum comitem Richardum et Rotomagensem archiepiscopum Richardum que Sagiensem episcopum ad cujus diocesim locus ipse pertinebat, et Fulconem comitem cum Andegavorum episcopo Huberto, cum quibus etiam advenit metropolitanus Turonicæ sedis archiepiscopus Arnulfus. Aduit cum his Herbertus Cænomannensis comes, cognomento vocatus Evigila Canem, et cum eo Avisgaudus ejusdem civitatis episcopus. Hi omnes devote et religiose, sicut orthodoxis et catholicis Christianis moris est, supradictam æcclesiam dedicaverunt. Quo peracto, dominus meus rex Franciæ et comes Normannorum Richardus et RICARDUS Sagiensis episcopus, cum ceteris omnibus episcopis et baronibus supra memoratis fecerunt eam solutam et quietam ab omni subjectione secundum id quod me velle noverant. Sic enim mihi concesserat apostolicus Leo cujus imperio sepe dictam æcclesiam edificaveram. Istam liberationem et solutionem auctorizaverunt et confirmaverunt rex et pontifices omnes suprascripti et comites, cum omni clero qui cum illis et populo erat, ut stabilis et firma deinceps imperpetuum permaneret ; et si quis in posterum archiepiscopus sive episcopus ipsam æcclesiam quocumque modo inquietare presumeret, ex apostolica auctoritate et omnium qui aderant anathematis vinculo, sine recuperatione, teneretur. Cujus auctoramenti summam sic deffinierunt ut chrisma et oleum et ordines et omnia necessaria ipsa ecclesia requireret a quocumque episcopo vellet, ita dumtaxat si episcopus Sagiensis gratiam et communionem apostolicæ sedis non haberet, et si hæc gratis et sine pravitate exhibere nollet, et si canonibus contrarius esset, et ut eam in eaque Deo servientes, nullo modo distringere interdiceret aut excommunicare posset, ad sinodum autem ire aut ad aliquem talem conventum cogere eos non valeret. + + + + S. Rotberti regis Francorum +. S. Richardi comitis. +. S. Rodulfi Rothomagensis archiepiscopi. +. S. Richardi Sagiensis episcopi. +. S. Arnulfi Turonensis archiepiscopi. +. S. Odonis comitis. + S. beatæ memoriæ domni Fulberti Carnotensis episcopi. + S. Fulconis Andegavorum comitis +. S. Huberti Andegavensis episcopi. + S. Herberti Cænomannensis comitis. + S. Avisgaldi Cænomannensis episcopi. + S. Gilduini Senonensis archiepiscopi.